



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Bibliotheca Rhetorum**

In quo Causae Forenses, Liber Epistolarum, Liber Fabularum, Et  
Oratiunculae

**Le Jay, Gabriel François**

**Ingolstadij, 1726**

Matri filioli sui plus æquo amanti.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-71049](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-71049)

## M A T R I

*Filioli sui plus aequo Amanti.*

## Objurgatoria.

**V**ideo equidem quàm importunus ego, quàm molestus censor habendus sim, qui amorem illum, quo filiolum, non tam complecteris, quàm perdis, non verear insimulare: Tamen vel si defugere non possim periculum offensionis tuæ, dicam ingenuè, quod sentio, & damno etiam meo, sinceritatis cultor, quàm adulator turpis malim videri. Plaudis nimirum tibi, cum blandiris puero, cum figis oscula, cum feroculum etiam plerumque foves in sinu. At, si nescis, catulos suos dum suavius osculatur Simia, dum stringit arctius, eosdem imprudens ac stulta nimium enecat. Tu quid facis aliud, dum Pamphilo tuo per fas ac nefas indulges impensius, nisi adolescentem miserum Simiarum more perdis atque exterminas. O si videres, quanquam videres id fati, nisi te amor præpoiterus obscæret. O si videres, inquam, qualis è complexibus tuis excedat! quem demum ex illâ disciplinâ tuâ fructum reportet! ut otiosus totus ac deses! ut fugitans laboris, ut fastidiosus Literarum, ut eruditionis bonæ osor perünax, ut asper monitoribus, ut increpationis impatiens, ut plenus sui, ut insolenter arrogans! Nam quem ille vel audiat, vel sequatur, vel metuat, dum matris in umbrâ, tanquam præsidio munitus inexpugnabili, magistrorum consilia, ammonitiones, minas despicit? Neque tu verò aut nullas aut etiam seras mollioris indulgentiæ

. pæ-

pœnas dabis, cùm factus ille in omni vitæ parte licentior & ad quælibet Reipublicæ munia ineptissimus, acceptam à Majoribus gloriam non modò non tuebitur, sed ignaviâ turpi, fœcundiâ, libidine dedecorabit. Tum intelliges, quàm perniciosus fuerit amor ille, qui tibi jam illudit, tum mœderi malo voles, quod medelam nullam admittet. Monebis ipsa vicissim, adolescentem argues, indolem pravam, vitia incusabis; excitare tentabis ad magna quæque torpentem ac senescentem animum; contumacem, perditum, consilii boni contemptorem corripies nimirum, & intentatis etiam minis, percellere ac revocare ad meliorem frugem conaberis. At frustra; neque bene monentem audiet, neque graviora minitantes reverebitur. Hic erit fructus amoris illius tui, hoc mollioris indulgentiæ solatium feres. Desine ergo illecebrarum hujusmodi: reprime viriliter & intra legitimos fines contine præposteros exitialis benevolentiae impetus. Habes aliud, unde maternus amor se prodat, nec incurrat tamen pœnitendi periculum. Provide filiolo illi tuo, quem amas, institutionem bonam, nullis parce sumptibus, ut peritos pariter atque incorruptos moderatores sufficias; studium laboris, doctrinæ desiderium, bonarum artium æmulationem quoquo pretio teneris animis ingenera; occurre diligenter nascentibus & erumpentibus primùm vitiis; castiga prudenter fœcundiam, malorum omnium fontem teterrimum. Denique eâ te lege tantùm amicam aut etiam blandientem, si voles, sentiat, ut singulis officiorum suorum partibus sedulò ac constanter defungatur. Vale.

AMI.